



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Quod lapidum vis in alium emanet, vt catena interdum lapidum pendula
videatur. Cap. XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

ferrea minera: nam colorem, & ferri nitore refert, nam ex magnetis approximatione, cito ab alia non sine adstantium admiratione separatur. Experimentū fortasse fuerit, quod ab antiquis memoriae proditum est, magnetem ferrum, harenam, oleum, & omne trahere.

Majori magnetis lapidi maiorem vim inesse.

CAP. X.

Nec ignorandum est profecto, magnetem, qui magnitudine præcellit, virtutis effluuium eminus iaculare, vibrareq; oppositum magnetem maiori violentia allicere, atque rapere: idque in eodem lapidis genere. Videlicet si libralis ponderis magnes erit, & è longinquo visus alter magnes protinus transilit, occurritque trahenti, nos eius medietatem adimentes, languet vis, atq; veluti expirans torpet, & ablatae partis proportionem adimitur vigor. Si quis rei minus fidem præstabit, accersetur lapis ad experimentum: nam abstracta parte, abstrahitur & vigor, si abstractam partem adiunxerit, confirmantur vires, vegetioresq; fiunt, redeuntq; ad pristinum vigorem, ut occurrenti magneti è longinquo transiliat, ut protinus illum amplectatur. Quod argumentum nobis confirmat maiori lapidi maiorem inesse vim in eadem lapidis specie, nam varios magnetinos lapides, ex diuersis orbis partibus adlatos, varijs pollere virtutibus conspeximus. Magnetem Romæ vncialis ponderis vidimus, qui binas ferri vncias trahebat, & tractum adeo tenaciter amplexabatur, ut vix abstrahi posset. Vidimus & alios quadraginta librarum, adeo effectæ virtutis, ut vix vncialem mouerent. Sed quò possimus curiosos pleniore beneficio demereri, in sequentibus modum docebimus, quo vis lapidis ad trutinam expendi possit, & æqua lance librari.

Quod lapidum vis in alium emanet, ut catena interdum lapidum pendula videatur. CAP. XI.

ALIA enim dote lapis idem apud nos cõmendandus venit: nam quum alium lapidem apprehenderit, non solum eum pertinaciter amplectitur, sed in eius corpus suarum virium effluuiū eructat, expuitq;

sed is vbi vberiores vires sibi vendicauit, alium perinde manibus comprehendens facultatem eandem expuit, & diffundit, hic tertius eadē vi illa affectus, vnde cumq; ex proximo, vel longinquo alios rapit, eandemq; virtutem iaculatur & vibrat, & hic alios, vt reciproco iaculatu, eadem, qua tenetur, alios teneat, & ex vnoquoque quasi iacula virtutis delibuta in alterum proruant, & in altum eleuati, quasi cōcatēnati pendere vidētur, vt nec facile abstrahi sinant, vt quam maximē demirari contingat, quomodo intestina ea inuisibilis vis per omnes mutuo transmittatur, & profluat. Et eo virtus in pluribus elabitur, diffunditurq;, quo potentioris erit virtutis. Id tamen duximus præmonendum, ne experimēto fallaris, vt lapides ex cognatis partibus sibi cohæreant, non ex aduersis, tali enim pacto alter alteri suas virtutes non delegat, sed in micę partis occurſu tanquam ab aduersis impedire refrenantur, & suis muneribus cessant, vt scilicet Septentrionalis punctus vnus, alterius australi inhæreat, vt diximus, & non e contra: nam australis australi, & borealis boreali, tanquam discordia laborant contrarius elāgueſcit facultas, & silens aduersario præſente torpet. Neq; id etiam curiosius periclitantibus commitemus, vt lapides ex magnitudine sibi succedant, vt maior minorem, minor minusculum trahat, vt petri naciis inhæreant, nec tam facile conuellantur.

Quid in magnete confusa sit hirsuties illa.

C A P. XII.

HINC prouenit hirsuties illa pilorum, quam supra memorauimus, quæ tam pertinaciter inhæret lapidi, vt vix auelli queat: nam quum alter altero accitetur, vel ictu leui mallei decutitur, minutissimæ partes illæ attrite, non suo pondere in terram cadunt, sed vtiliter lapidis retinētur, & vt altera alteri hæere possit, amictu faciem conuertendo, non aliter commodè sociæ pilorum potest inhære, nec alio modo sibi colligari, nisi in filis & capilli modum, & si diutius lapidem lapide trueretur congeries harenarū illa adeo crescit, vt pilis totus hoc